De Marte.

REliquū eſt nobis de Martis ſtella dicere quæ nomine Pirois appellatur. Hęc aūt non magno eſt corpore, ſed figura ſimilis eſt flāmæ, nonnunquā autem cum ipſius ſolis ſideribus concurrens omnia peruolat ſigna, ſedens ad primum ſignum non longius biennio.

QVod ad quinq; ſtellas attinet, huc uſq; ſatis arbitramur dictum, nūc autem demonſtrabimus quibus de cauſis menſes intercalentur. Quoniam tempus omne metimur die & nocte, menſe & anno, ſunt qui diē nobis diffinierūt, quamdiu ſol ab exortu ad occaſum perueniat. Noctis autē ſpacium conſtituerunt eſſe, quādiu ſol ad occaſum, rurſum ad exortum reuertatur. Menſem aūt quamdiu luna zodiacum circulum perducat. Annum autem uoluerunt eſſe, cum ſol ab æſtiuo circulo redit, & zodiacum ad id ſignum unde incipiebat permetitur.

Reliqua deſunt.

SPHAERA MVNDI.



Sächſiſche Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG